

1527

*Hippolytus
& Alexan-
der Medi-
cei Floren-
tia ejusli
hostes pa-
triae decla-
rantur.*

*Urbinae
adventu
Mediceo in
patriam re-
stituti.*

*Fœderis
cum Flo-
rentinis cō-
firmatio.*

*Gabriel Ve-
nerius ad
Sfortiam
Orator.*

*Modoetia a
Sfortia ca-
pta, a Le-
va recepta.*

rum dominatum probantibus. Fervere itaque in diversas par-
tes studia, civitatem undis civilibus concuti; superior popu-
lus videbatur, cunctamque ad se publicam auctoritatem ra-
père, Medicea familia auctoritate, qua plurimum pollebat,
exuta, hostibus patriæ Hippolyto, atque Alexandro Clemen-
tis nepotibus declaratis; cum Dux Urbinas, exercitus impe-
rator, Florentiam quamcelerrime cum Aloysio Pisano legato, &
Federico Bozzolo se contulit, octoginta e suorum numero,
qui insigniores nobilitate videbantur, comitantibus. Eo cum
pervenisset, nutantes Florentinos tum cohortationibus, tum
vicinarum copiarum metu in foederatorum fide retinuit, ac
tumultuantium civium ardore restincto, Mediceæ familiæ di-
gnitatem restituit, & civitatem factionibus labantem, sua au-
toritate pace composita, firmavit; Florentinisque in cliente-
lam receptis, ad fœdus denuo confirmandum iis conditioni-
bus adegit, ut ducentos quinquaginta cataphractos equites,
quingentos levioris armaturæ, peditum quinque millia suis
sumptibus alerent: ad hæc tormentorum bellicorum numerum
præberent; quibus copiis una cum foederatis quacumque in Ita-
liæ regione Ducibus visum esset, dimicarent: in Hetruria ve-
ro tantum copiarum haberent, quantum ad eam provinciam
tuendam necessarium foret. Ea res in primis jucunda Senatui
fuit, quod communibus rebus conducere mirum in modum
videretur, Rempublicam locorum situ, pecunia, & viribus
florentem a fœdere non sejungi; præsertim cum Veneti plu-
res exercitus alere, maximos quotidie sumptus facere cogerentur.
Nam quia Antonius Leva in Insubribus moliri aliquid
summi momenti afferebatur, sancti Columbani oppido in po-
testatem redacto, octo millium peditum novum delectum ha-
beri decreverant; & Gabrielem Venerium ad Franciscum Sfor-
tiam Oratorem miserant, ut ad hostium conatus præsto esset,
ac si qua in re posset, consilio, & auctoritate Senatus juva-
ret. Aderant tunc Sfortiæ tria peditum millia, quæ, summo stu-
dio Cremona, & Laude Pompeja pecunias subministrantibus,
collegerat, oramque omnem, quæ trans Abduam est, milite se-
pserat, & Modoetiam improvise adortus occupaverat: qua re
commotus Leva cum septem peditum millibus ad repetendum op-
pidum convolarat. Sfortia, cum non satis ad bellum necessaria in-

stru-